



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Viator Christianvs Recta Ac Regia in coelum Via tendens

Soliloquium Animae. Vallis Liliorum. De Tribus Tabernaculis. Gemitus & suspiria animæ pœnitentis, seu de Vera Compunctione Cordis. Cohortatio ad Spiritualem profectum

Thomas <von Kempen>

Coloniae Agrippinae, 1682

VII. De documentis & exemplis Humilitatis à Christo traditis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53320](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53320)

718 DE TRIBUS
divitias & voluptates non ha-
beo, sed pannos & sudarium Jam
credite, quia dives non sum, &
paupertatem meam diligite.

Hæc ad laudem paupertatis
sufficiant, quæ vere laudabilis
est, & ab omnibus Dei servis
multum amari debet; quia Deus
illam, & omnes Sancti, cunctis
divitiis mundi præferebant.

DE TABERNACULO II.

Id est,

DE HUMILITATE.

CAP. VII. De Documentis &
Exemplis Humilitatis à
Christo traditis.

Pauper-
tas in-
grata
Deo abs-
que hu-
militate.

S. Sed consequenter ad virtu-
stem *Humilitatis* transe-
amus: *Humilitas* enim, si Pauper-
tati conjuncta non fuerit, Deo
placere Paupertas non potest. Si-
cut igitur de Paupertate, ita, Do-
mine Deus meus, & de *Humili-
tate* loquere mihi.

Multis modis istam commen-
dari

dari in Scripturis tuis audio ; & miris in te modis emicuisse præ cæteris invenio.

Quis sic veram humilitatem ostendere & docere potuit, quemadmodum Deus homo factus? Unde aperte omnibus dicitis: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corda.*

Matt. II.

Et si aliud exemplum veræ humilitatis non haberem, quam te Dominum meum Jesum ; nec aliam humiliandi causam, omnino ipse solus sufficeret.

Christus humilitatem docet efficaci exemplo.

Quem sequar, si te non sequor? Cui credam, si tibi non credo? Quis mihi persuadere poterit, quod humilitas est via regni cælestis : si ille non valet, qui de cælo venit?

Usquequo insipiens eris anima mea, ambulans per vias non rectas, semper errans, & ad veritatem nunquam perveniens?

2. Ecce humilitas via est, & alia non est, Ego (inquit) sum via, veritas & vita. Humilia te, inclina te quæso anima mea, & erit Christus vita tua.

IOAN. 14.

Noli attendere, quid alii di-

Y y

cant

Luce 12. cant; sed vide, quid Christus hominibus dicit: *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri meo, dare vobis regnum.*

Marc. 11. Hinc rursus & in alio loco exultans in Spiritu S. ad Patrem ait: *Confiteor tibi Pater Domine caeli & terra, quia abscondisti haec à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis. Ita pater, quoniam sic beneplacitum est ante te.*

Matt. 15 Quid tibi videtur de Christo, cujus filius est? Verè Filius Dei erat homo iste. Si ille in mundo nil habere voluit, qui omnia cum Patre condidit, quid tu adhuc in illo quæris & diligis? Time, quod dicit: *Vos de mundo estis.*

Joan. 13. Cùm Jesus esset adhuc cum discipulis suis, & hora appropinquaret passionis, volens illis exemplum dare perfectæ humilitatis ac nimæ dilectionis: *surgit à cœna, & ponit vestimenta sua, & mittit aquam in pelvim, cœpitque lavare pedes discipulorum suorum. Et ait illis: Scitis, quid fecerim vobis? Vos vocatis me magister & Domine, & bene*

Præcipue lavando pedes di-

ne

ne dicitis. Si ego Dominus & scipulo-
 magister vestros laui pedes, & rum.
 vos debetis alter alterius lava-
 re pedes. Exemplum enim dedi
 vobis, ut & vos ita faciatis.

O vere summum humilitatis
 exemplum! Deus ecce, hominum
 servus factus est, & homo adhuc
 homini, aut potius Deo subje-
 ctus non est. Confundantur &
 vereantur omnes superbi, quia
 contempserunt consilium filii
 Dei.

3. Vicisti nos Domine Jesu,
 vicisti nos humilitate tua; ecce
 confundimur in superbia nostra.
 Confusio operuit faciem no-
 stram.

D. Quid facere debui tibi, o
 superbe, & non feci? Cur respicis
 in me? Putas quod sis melior me?
 Si non hoc apparet tibi, forsitan
 humiliasses te, nunc verò super-
 bia tua ascendit semper.

Convertimini filii hominum,
 & nolite ascendere, quia non
 sum vobiscum. Si enim ascende-
 ritis, cadetis coram inimicis
 vestris, & subsannabunt vos; &

cognoscetis, quia superbis resisto.

1. Petr., 5.

Luca 14.

Deus exaltat humiles, & superbos humiliat,

Humiliamini sub potenti manu mea, & exaltabo vos. Omnis enim, qui se humiliat, exaltabitur, & qui se exaltat, humiliabitur. Quanti volebant ascendere, & ceciderunt quasi lapis in profundum.

Exod. 15.

Gen., 3.

Isaia 14.

Pharao & currus ejus submersi sunt in mari rubro: Adam & Eva expulsi sunt de paradiso: Angelus, & qui cum eo erant, projecti sunt de caelo. Et hi omnes propter ascensum mortis superbiae, corruerunt in damnationem mortis aeternae.

Psal., 72.

8. Heu, heu Domine, a facie furoris irae tuae quis sustinebit? Dejecisti eos, dum allevarentur. Cecidit, cecidit Babylon, & facta est ruina ejus magna.

Sed quid faciam miser, quo fugiam? Tremens factus sum ego & timeo, quia Deus nec Angelis nec hominibus superbientibus pepercit. Vae mihi, si sic ascendero, & vae iterum mihi, si non descendero.

Quis ostendet mihi viam, per quam

quam

quam possim secure, & sine periculo ambulare?

4 D. Ego sum via: per me si introieris, salvaberis. *Ioan. 10.* Transite

ad me omnes, qui concupiscitis me, & scandalum non erit vobis, quemadmodum contigit super- *Ioan. 8.* bis. Ego sum lux mundi. Qui sequitur me, non ambulat in tene-

bris, sed habebit lumen vite. Ego forma justitiæ; ego exemplar *Ioan. 10.* humilitatis. Ego pastor bonus, qui pascō oves meas. Pavi eos in innocentia cordis mei, & in verbis oris mei confortavi illos.

S. Domine, qui pascis me à ju- *Psal. 77.* ventute mea, ne derelinquas me,

Spiritus tuus bonus deducet me *Psal. 142.* in terram rectam, propter nomen

tuum vivificabis me in humilitate tua, Ipsa est, quæ salvam faciet animam meam, & ab æternis casibus custodiet eam.

Si fuero humilis, salvus ero. *Luca 23.*

Memento mei Domine, ait humilis & contritus Lator, cum veneris in regnum tuum. Et dixit illi Jesus: Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. O quanta est virtus humilitatis,

Yy 3

quæ *Humili-
tas La-
troni a-
peruit
paradi-
sum; Ada-
mum ex-
pulit su-
perbia,*

quæ Latroni aperuit gaudia paradisi!

Gen. 3.

Adam ubi es? Domine (inquit) vocem tuam audiui, & timui, eo quod nudus essem.

Miser, quis te nudavit, nisi superbia tua? *Eritis sicut dii:* aiebat princeps vester.

Psal. 75.

Mentita est iniquitas sibi, & factus est ille, & ecce filii ejus omnes miseri: & nihil deitatis invenerunt viri divitiarum in manibus suis, sed labores & dolores comprehenderunt eos.

CAP. VIII. *Superbia dum conatur ascendere, descendit.*

MELIOR est ergo iste humilis Latro, quàm Adam quondam justus & elatus. Per humilitatem suam iste ascendit, per superbiam ille descendit.

Luc. 10.
Superbia non tam descendit quàm cadit.

Sed quid dixi, descendit? Utinam descendisset; nunc autem cecidit in latrones; qui etiam despoliaverunt eum; quia superbia nunquam descendit, sed semper cadit. Cecidit in cælo, cecidit in para-

para-